



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

10. Caluini de cælibatu vertigo & inconstantia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45686**

meatum scortatione, adulterio, καὶ διὰ ἀφώνων τῶν παραπλαμάτων  
 quaritat. Est enim hic natura necessitas, non arbitrii libertas. Quis  
 huic Proteo credat, vultus ad eò mutanti, & eodem ore dicenti  
 marem femina, feminans mari sociari, tam est necessarium, quam  
 ut masculus sim, &c. & : Nec ideò calibatum & virginitatem re-  
 probare mihi animus est, nec inde quemquam ad coniugale vinculum  
 inuitare?

Quòd si eandem quis, in Caluino, inconstantiam velit vi-  
 dere, hæc verba illius, apud se, consideret. Quia multis molestiis  
 implicitum est coniugium, ait : semper conatus est Satan odio & infam-  
 ia grauare, ut homines ab eo subduceret. Et paulò post : Sed vi-  
 dendum est, quomodo hanc stultitiam refellat Dominus. Omnes hu-  
 ius dicti capaces esse negans, significat electionem non esse positam in  
 manu nostra, ac si de re nobis subiecta esset consultatio. Si quis utile  
 sibi putat uxore carere, atque ita nullo examine habito calibatus le-  
 gem sibi edicit, longè fallitur. Deus enim, qui pronunciauit bonum  
 esse, ut viro adiutrix sit mulier, contemti sui ordinis pœnam exiget,  
 quia nimis sibi arrogant mortales, dum se à caelesti vocatione eximere  
 tentant. His è diametro repugnant, quæ idem alibi, in hunc  
 modum scribit. Sensus est (S. Pauli) Ego expedire arbitror, propter  
 necessitatem, qua sancti, in hac vita, urgentur semper, ut libertate  
 ac commoditate Calibatus fruantur omnes : quoniam hoc illis con-  
 duceret. Et in vers. 28. eiusdem capituli ait : In suis hortationibus  
 in calibatum inclinatur S. Paulus. Dicit multas molestias coniugio an-  
 nexas esse, ideò se cupere omnes à coniugio esse liberos, qui immunes à  
 molestiis esse velint. Et in vers. 32. Non sine causa, toties ad præ-  
 dicanda commoda calibatus reuoluitur : videbat enim, quàm non le-  
 uia sint matrimonij onera. Is qui eximere se potest, non debet tale  
 bonum negligere. Et rursus : En vacuitas sollicitudinum, quam  
 Christianis optat, ut suas omnes cogitationes, suaq; studia Domino ad-  
 dicant. Hanc in calibatu esse dicit : ideò cupit omnes hac libertate  
 frui. Et paulò infra : Hic est Pauli sensus, liberum esse calibem :  
 neque impediri, quò minus, quæ Dei sunt, cogitet. Hac libertate  
 pij utuntur : alij omnia in exitium suum vertunt. Et in vers. 38.  
 Summa totius disputationis huc redit, meliorem esse calibatum con-  
 iugio, quia in illo maior sit libertas, ut expeditius seruiant homines  
 Deo.

X.  
 Calu. Harm.  
 in Matth. 19.  
 11,

Caluin. int;  
 Cor. 7. 25.